



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvnt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

Cap. I. Vtrvm religiosus status sit proprius legis gratiæ, vel etiam ante
illam fuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)



INDEX CAPITVM LIBRI TERTII

De auctore seu causa efficiente, & antiquitate status religiosi.

- CAP. I. **V**TRVM religiosus status sit proprius legis gratia, vel etiam ante illam fuerit.
- II. *Verum religiosus status à Christo ipso fuerit institutus.*
- III. *Verum status religiosus perpetua traditione, & sine interruptione semper in Ecclesia durauerit*
- IV. *Verum religiosus status in Ecclesia exordio eiusdem rationis fuerit cum illo, qui nunc est.*



LIBER TERTIVS.

DE AVCTORE, SEV CAUSA EFFICIENTE RELIGIOSI status, ac praesertim de eius origine, & antiquitate.



EXPLICATA natura status religiosi, priusquam de singulis eius obligationibus, ac votis differamus, dicendum est de primaria causa, & origine eius, & quid in hoc statu in tota antiquitate obseruatum est; multum enim hoc confert vt ea, quae de natura huius status diximus, amplius declarentur, & confirmantur: & ob hanc rationem ab efficiente causa initium sumimus, licet extrinseca videatur. Et praeterea quia de causa simili huius status satis in duobus libris praecedentibus dictum est; ubi ostendimus perfectionem Christianam, vt acquirendam, esse huius status finem, eaque occasione, quid haec perfectio sit, ostendimus. Infra etiam tractando de ingressu religionis, quo fine status hic assumendus sit, ostendemus, & de varietate religionum, & in specie de societate disputando, finem hunc amplius explicabimus; quam ob rem de hac causa, licet praecipua sit, hic plura dicere non est necesse. Materialis autem causa huius status non sunt nisi homines ipsi, qui statum hunc possunt assumere, de quibus tractantes de ingressu, & de professione melius dicemus. Tandem formalis causa non est alia, quam ipsa professio, & vota, quibus homo religiosus efficitur, vt iura dicunt, & ideo inferius explicanda est. Circa causam autem efficientem aduertendum se, aliud esse loqui de statu religionis secundum se, aliud de applicatione eius (vt sic dicam) ad talem personam; potest enim status religiosus institui, etiam si nullus religiosus efficiatur: sicut institutus est status matrimonii antequam contraheretur, & sacramentum instituitur ante usum eius; institutio enim solum dicitur applicari, vt in tali viuendi modo possit verus religiosus fieri, qui voluerit: applicatio autem illius vocatur, quando in exercitio aliquis talem statum assu-

mit. Hic ergo non agimus de causa efficiente huius status, quatenus applicatur ad singulas personas: nam hoc pertinet ad librum de professione religionis; ex quo constabit, non esse ibi alias causas querendas, praeter ipsos, qui sua voluntate, & consensu talem statum assumunt, & cum qui potest & vult oblationem acceptare; est enim ille quidam contractus, qui mutuo consensu contrahentium perficitur, vt dicemus. Agimus ergo de causa instituyente hunc statum, quam inquirimus nunc solum in generali, inde enim facile constabit, quid de singulis religionibus dicendum sit, supposita earum varietate; quae postea etiam explicanda est.

CAPVT I.

Verum religiosus status sit proprius legis gratia, vel etiam ante illam fuerit.

Multorum sententia est statum religiosorum antiquiorem esse statu legis gratia, cepisseque vel à tempore legis naturae in Enos, de quo dicitur Genes. 4. cepisse inuocare nomen Domini, aliquo scilicet specialis religionis cultu, nam communis à principio in primis parentibus Abel & Calis fidelibus fuit. Vel saltem in tempore legis veteris, vel in Nazaraeis, de quorum votis Numer. 6. mentio fit, vel praecipue in Elia, & Eliseo, ac filius Prophetarum, qui in collegiis habitabant; eorum vero auctorem & fundatorem Hebraei Samuelem faciunt, vt docet Geneb. in Chrono. Et Comestor in histor. lib. 1. Reg. cap. 10. Nota, inquit Comestor, quod Samuel primo instituit conventus religiosorum iugiter psallentium Domino. Idem confirmatur ex D. Hieronymo, epist. 4. ad Rustic. Filii Prophetarum quos monachos in veteri Testamento legimus, edificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis, & turbis urbium derelictis polenta, & herbis agrisibus victabant. & epist. 13. ad Paulin. Nos autem habemus profepis nostri (id est, monachatus) principes Paulos, Antonios, Hilariones, Macharios, & vt ad Scripturatum au-

Verum relig status sit proprius leg &c. Deinde Ioannem Baptista ante tempus legis gratia statum hunc professum fuisse illum que vel instituisse, vel in staurasse, significat Chrysostr. hom. 1. in Marcum, dicens: Sic ut sacerdotum principes sunt Apostoli, sic monachorum principes Ioannes Baptista est. Et Hieronym. epist. 22. ad Eustoch. de cultod. Virgin. *Huius viri* (scilicet Anachoritarum) *auctor Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conseruandam, princeps Ioannes Baptista est.* In vita denique Pauli primi Eremitæ, idem ferè repetit. Hinc etiam scripsit Bernar. epist. ad Fratr. de Monte Dei prop. in initium. *Sed hac nouitas* (loquitur de illorum instituto) *non est nouilla uanitas, res enim est antiquæ religionis perfectæ fundata in Christo pietatis, antiqua hereditas Ecclesie Dei à tempore Prophetarum demonstrata, tam quæ noua gratia sole creato in Ioanne Baptista illustrata, & inuoluta, ab ipso Domino familiarissimè celebrata, & ad eius discipulis ipso presentè concupita.* Ad eundem modum de huius status origine sentit Machar. serm. ad Monachos, ubi Elia in veteri lege, Ioanni Baptiste in lege Gratia tribuit initium huius status. Item Cassian. lib. 1. de Instit. cænob. cap. 17. de Elia & Eliseo ait, *Qui in veteri testamento profectio huius fundauere primordia.* Principem verò auctorem que testamenti noui Ioannem Baptista nominat Petrum & Paulum. Idem sentit Isidor. libro 2. de Officiis cap. 9. Dorotheus in synopsi Prophetarum.

Præterea ante legem nouam in vsu fuisse tria illa, in quibus substantia religiosi status consistit, uerisimile videtur. Nam etiam ante legem scriptam nihil certi de hac affirmare possumus, considerata ratione naturali intelligi potest illi modum viuendi, & Deo seruendi, tunc non defuisse; quia in primis ritus viuendi, seu consecrandi aliquid per uotum Deo, de iure nature est, maxime supposita fidei illustratione, ut supra tractatum est. Deinde edem iure, seu ratione naturali manifestum est, esse optimam vitam perfectionis sequi, eamque per mundi abnegationem comparari: cur ergo ualde credibile non est, in lege nature fuisse plures sanctos viros, qui hanc uiam sequuti sunt? Etenim si inter Gentiles multi castitatem perpetuam seruabatur, cur multi fideles non eam Deo deuouissent? De Crate illo Thebano Hieronymus refert epist. 13. propter amorem sapientia ingenium aut thesaurum reliquisse; cur ergo propter cælestem contemplationem non multi sancti terrena omnia illis etiam precis temporibus despexisse credendum est?

Iam uerò de tempore legis scripta habemus ad id asserendum magnum in Scripturis fundamentum, nam per Esaiam 56. Dominus Eunu. hos consolatur, etique promittit nomen sempiternum, quod non peribit. Eunuchi autem ibi non corporaliter, sed spiritaliter intelligendi sunt, de quibus Matth. 19. dicitur, *Eunuchi sunt qui se castrauerunt propter regnum celorum, castrauerunt* (inquam) *se per castitatis uotum, ut supra cū Patribus expolimus, & ita locum etiam illum Isaiæ antiqui Patres intellexerunt, ut fufe Bellar. lib. 2. de Monach. cap. 9. cui etiam consonat illud Sapient. 3. Felix sp. ido qui non operatur est per manus suas iniquitatem, nec operatur contra Deum nequissima, dabitur enim illi fides donum electum, & fors in templo Dei acceptissima.* Ac propterea Damas. lib. 4. ca. 25. Virginitatem à multis antiquis Patribus seruatum esse dicit.

De uoto etiam obedientia in vsu fuisse inter Esse nos indicat Iosephus lib. 2. de Bello Iudaico ca. 7. & uinendi rationem tenuisse in uo corpore, seu congregatione, per se statim sit credibile, obedientiam fuisse professos, quia aliter non ordinatè nec politi-

cè viuere potuissent. Denique de paupertate, quod multi etiam veteres Patres eam coluerint, præsertim Elias, Eliseus, & qui eos imitati sunt, sancti citati saepe significant, & ad eos alludere uideri Paulus, cum ad Hebr. 11. dicit, *Circum ierit in melis, in pellicibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terra: ubi D. Thomas notat his uerbis describi à Paulo mala uoluntarie assumpta ab antiquis Patribus ex fide; unde in illo uerbo, egentes, intelligit indicari paupertatem uoluntarie assumptam, in quo præfigurabant, ait statum perfectionis noui testamenti. quod etiam dicit generaliter notari in Elia, qui pastus fuit à coruo, & à muliere uidua, &c. Fuit ergo ante legem Euangelicam uera professio omnium quæ ad statum religiosum sunt necessaria: ergo & ipse status.*

Nihilominus existimo perfectionis ac religionis statum absolute simpliciter, ac prout includit omnia quæ de illius substantiali perfectione sunt, esse proprium legis gratia, antea que fuisse adumbratum, & ex parte inchoatum, non uerò perfectum. Hanc sententiam significasse mihi uidentur D. Bernard. & D. Thom. locis citatis: ille enim dicit à tempore Prophetarum fuisse hanc vitam præmonstratam, in Ioanne Baptista inuolutam, ab ipso uerò Domino familiarissimè celebratam: significans perfectionem ipsam ab illis quidem antiquis Patribus fuisse exercitam, etiã quoad opera cõsiliorum; statum uerò ipsum à Christo Domino fuisse profectum. Clarius uerò D. Thom. ad Hebr. 11. lect. 8. exponens uerba illa, *egentes, angustiati, afflicti*, dicit in priori uerbo significari statum uoluntarie paupertatis aliquorum veterum Prophetarum, in quo, inquit, *præfigurabant statum perfectionis noui testamenti.* De quo Matth. 19. *Si uis perfectus esse, uade, & uende omnia quæ habes.* Sentit ergo D. Thom. hunc statum esse proprium noui Testamenti; olim uerò solū fuisse adumbratum. Vnde D. Hieron. epist. 22. de custod. Virg. ad Eustoch. *Alia, inquit, fuit in veteri lege felicitas; sibi dicitur, Beatus qui habet semen in Sion, & domesticos in Hierusalem, &c.* Et infra, *Paulatim uerò increfuit & segete, m. sor immixtus est, uirgo El. as. Eliseus uirgo, uirgo: es multi si in Prophetarum, &c.* Et infra, *Inuenietur ergo in uirgine tantū hoc continentia donum, & in doloribus iugiter Eua parturiebat.* Postquam uerò uirgo con. epis in uero, & peperit nobis puerum, soluta maledictio, st. idoque & dicitur uirginitatis donum fluxit in feminas, quia cepit à femina. Si autem ut filius Dei ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in caelis, haberet Angelos & in terris. Et infra, quod ad rem maxime spectabat. *Tunc primū auditum est: Qui uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* quæ uerba de uocatione ad statum religiosum Patres intelligunt, præsertim Basil. in reg. 6. ex filiis disputatis. Ex dictis ergo colligitur religiosum statum, etiam ante Christum fuerit, à Patribus antiquis, & Prophetis adumbratum, & ex parte inchoatum, illius tamen perfectionem, seu perfectam institutionem, esse propriam legis gratia. Quod iam etiam ostendunt Hieron. Platus lib. 2. de Bono stat. relig. cap. 19. & 20. Bellar. lib. 2. de Monach. cap. 5. Matth. Galenus de Orig. Monast. Henric. tom. 2. lib. 12. c. 5. Basil. Ponce q. 3. Scholast. c. 2.

Declaratur autem assertio primò generali ratione, quia tanta perfectio, quanta secum affert religiosus status, debuit in tempus gratia reservari. Primum, quia nihil ad perfectum adduxit lex, ut Paul. ait ad Hebr. 7. ideo ad Galat. 4. tempus legis ueteris appellat tempus infantia, seu pueritia, dicens, *Ita & nos cum essemus paruuli, sub el. mentis mundi huius eramus seruantes, &c.* Secundò, quia decebat, ut sicut Christus de caelo ueniens pro uniuerso mundo non à lege & abundantia gratiam attulit, ita etiam intra suam Eccle-

Probatur fuisse statutum paupertatis.

4. Vera, simpliciter, statum religiosum simpliciter, & prout includit omnia quæ de illius substantia sunt, esse proprium legis gratia, antea que uerò fuisse adumbratum, & inchoatum, non uerò perfectum.

5.

Secundò.

Eccle-

Tertio.

Ecclesiam novam vitendi rationem excellentiori modo ad perfectionem tendentem institueret, ac demonstraret. Tertio, quia status perfectionis maxime consistit insequendo & imitando Christum, propter quod ubique ad hunc statum vocat, addit illam vocem, & sequatur me, ubi Hieron. Quod proprium (inquit) Apostolorum est, atque credendum; & de Petro dicente, Ecce nos reliquimus omnia, inquit, iungit quod perfectum est, scilicet, & sequuti sumus te: ergo expediebat, ut dux huius viae & status esset ipsum Dei Verbum iam incarnatum. Nam licet etiam veteres per fidem in eum aspicerent, & ita eum imitari poterint, iuxta illud quod de Moysē scribit Paulus ad Hebr. 11. Maiores divitias estimans thesauro Aegyptiorum impropriū Christi, nihilominus non habebant tam exactam cognitionem vitæ, & morum futurorum in Christo, nec experimentalem earum rerum cognitionem. Et præterea licet cognitio illa in vno vel altero fuerit sufficiens, & ideo ipsa imitatio, & perfectio etiam in aliquibus esse potuerit; tamen communiter ac regulariter non erat generalis illa tam distincta cognitio, & ideo nec perfectio ipsa quoad statum publicum, & omnibus propositum potuit, aut debuit esse illo tempore in eo gradu, & modo, quo nunc est.

6. Secunda pars vestra sententia proposita estenditur, & satisficitur argumentis contraria opinionis.

Aliqui sancti ex veteribus fuerunt virgines, sicut Eliseus, &c.

Constituta ante legem gratia non volebatur nisi ex speciali revelatione Dei.

Vota de se perpetua non solent fieri ante legem gratia.

Explicatur locus Isai. & Sapient.

Tandem ex duabus partibus, quas nostra habet assertio prior affirmans, quæ ad tempus legis gratiæ pertinet, insequentibus demonstranda est, quamvis ex dictis in libris præcedentibus & ex vso ipso satis per se sit evidens. Altera vero pars, quæ partim affirmans etiam est, partim negans, quoad affirmantem partem sufficienter probatur rationibus in principio propositis; quoad partem vero negantem explicanda à nobis est, atque ita rationibus alterius sententiæ, quatenus nostræ repugnare possunt, satisfaciendum. Primum igitur negare non possumus, quin aliqui ex veteribus Sanctis fuerint virgines, ut de Elia, Eliseo, ac filiis Prophetarum affirmat expressè Hieron. supra, & de illis & aliis Ignatius, Ambrosius, & Damas. quos cum aliis retuli in 2. tom. 3. p. disput. 6. sect. 3. ubi etiam dixi, licet hi virginitatem servauerint, incertum tamen esse, an per votum illam Deo consecraverint: nam de hac re nulla mentio, vel significatio in Scriptura fit. Nec ex eo solum quod voti sanctitatem & perfectionem agnoscebant, sufficiens coniectura sumitur, ut dicamus illos virginitatem seu castitatem voluisse: tum quia virginitas non erat in communi observantia illius temporis, nec in lege consuebatur, sed potius videbatur commendari fecunditas, & ideo fortasse licet illam servaret, quandiu aliud Deo placere eis non constabat, non tamen in perpetuum promittere audent sine speciali Dei revelatione. Sic enim etiam de Beatissima Virgine & Josepho multi Patres sentiunt non voluisse Virginitatem sine speciali Dei revelatione, vel Spiritus sancti instinctu ei æquivalente. Tum etiam, quia licet vota de singularibus actionibus, & præsertim de sacrificiis, & oblationibus essent tunc in vso, tamen vota de rebus perpetuis, & quæ varios ac difficiles poterant habere eventus non fiebant eo tempore, quia superabant perfectionem illius status, & ideo fieri potuit, ut etiam viri sancti talia vota non emitterent. Nec ex locis illis Isaiæ aut Sapientiæ aliquid sufficienter probatur, nam licet admittamus ibi esse sermonem de Eunuchis spiritualibus per votum castitatis, non est tamen necesse, ut illa verba ad mores, vel homines illius temporis referantur. Sed Isaiæ propheticæ loquitur de his, quæ in adventu Messie futura erant in Ecclesia, & ita verba eius continent vaticinium in nova lege impletum, ut significavit Bellarm. lib. 2. de Monach. c. 9. ubi cum Hieronymo eodem modo intelligit testimonium Sa-

pienitiæ. Videtur autem in illo loco generalem sermonem esse de omnibus iustis castitatem custodientibus, sequè ab omnino maculato servantibus, siue ex voto, siue sine voto, siue in hoc, siue in illo tempore.

Hinc constat multo minus ostendi posse votum paupertatis fuisse in vso tempore legis veteris; nullum enim talis voti ibi vestigium invenitur. Imò & de vso paupertatis voluntariæ rarissima sunt iudicia in vna vel alia persona, de quibus etiam incertum est quem modum vel gradum paupertatis servaverint. Esto enim Elias paupertatem amaverit, quoad vsum paucarum rerum, quis affirmare poterit nullius habuisse dominium, vel quod difficilius est, nec licite habere potuisse: Imò si filius historiam attente legamus, 3. Regum. 17. inveniuntur ipsum non cepisse voluntariam paupertatem profiteri, donec illi præcepit Deus. Recede hinc, & vade contra Orientem, &c. ubi de torrente bibes, corvis que præcipi ut pascant te ibi. & infra, Surge, & vade in Sarephtha Sidoniorum, & manebis ibi, præcepit enim tibi muliere vidua, ut pascat te. Ex quibus verbis potius possumus coniectare, prius habuisse Eliam bona, ex quibus aleretur, ideo enim videtur à Deo præventus, & admonitus, vnde esset sustentandus, ne de ea re esset sollicitus, nec de eius paupertate plura in Scriptura leguntur. Nec etiam de paupertate Elisei præter id quod 4. Reg. 4. legitur, cum frequenter transiret per Sunam, solitum fuisse dinectere ad quandam feminam, ut hospitio reciperetur, & aleretur, quod est indicium paupertatis eius, licet non sufficiens, nam ibidem de muliere dicitur, Quæ tenuis eum ut comederet panem; & inferius eod. cap. dicitur tempore famis filios Prophetarum habitasse coram eo in Galgala, ipsumque præcepisse vni de pueris suis. Pone ollam graniam, & coque pulmentum pro filiis Prophetarum. Vnde colligi potest ipsum habuisse aliqua bona, cum tempore famis abundanter posset alere filios Prophetarum: quamvis etiam pulmentum illud potuerit esse vile, & eleemolynis comparatum. Itaque nihil certi de modo paupertatis eius, vel sociorum, seu eorum, qui filii Prophetarum appellantur, affirmare possumus.

Præterea de vso, multoque minus de voto obedientiæ vestigium sufficiens invenimus in Elia: de Eliseo solum legitur ministrasse Elia, fuisseque discipulum eius; vnde fit consequens, ut illi obsequens fuerit: quod autem vel eam obedientiam voto consecraverit, vel intuitu status religiosi id fecerit affirmare non possumus, quia in Scriptura nullum invenimus huius rei indicium. Solum enim 3. Reg. 19. dixit Dominus Elia, El. seum solum Saphat vnges Prophetam pro te. In fine verò illius capitis significatur, Eliseum relictis patre & matre, & rebus quas habebat, sequutum fuisse Eliam. Ex quo optimè colligimus, præcessisse tunc quandam figuram, & adumbrationem status religiosi, quod autem Eliseus fuerit sequutus Eliam cum voto obedientiæ, & cum tali renunciatione rerum omnium, ut nihil proprium habere liceret, ne vsum rei alienius sine facultate Elia, neque in Scriptura habet fundamentum, neque id, nisi mere voluntarie affirmare possumus: potiusque ex auctoritate negatiua possumus contarium coniectare, quia rem tanti momenti Scriptura non tacuisset, vel saltem indicasset.

De filiis autem Prophetarum quidam colligunt professionem quandam obedientiæ, ex eo quod 4. Filii Prophetarum Reg. 2. legitur, postquam raptus est Elias, & Eliseus recepto eius pallio reversus est, & diuiso Iordane transtulit, cognouisse filios Prophetarum, requieuisse spiritum Elia super Eliseum; vnde ait Scriptura, & venientes in occursum eius, adoraverunt eum prout in terram; sed non veniunt. ac si tacite dicerent se ei obedientiam præstare, quam antea

7. Voti pau. portat nō fuit in vso tempore legis veteris.

Elias coluit paupertatem, sed non voluit.

Eliseus coluit paupertatem, sed non voluit.

8. Similiter obedientiam votum non fuit in vso tempore legis veteris, ut patet in Eliseo.

9. Filii Prophetarum obedientiam sub Eliseo habuerunt, sed non veniunt.

antea Elie tribuere soliti erant. At hoc non habet sufficiens fundamentum in textu, nec consonat verbis sequentibus, dixeruntque ei: Ecce cum seruis tuis sunt quinquaginta viri, &c. Igitur ex prioribus verbis nihil aliud colligi potest, nisi recognouisse illum vt sanctum virum, & specialiter afflatum spiritu Dei, & ideo desiderasse illum consolari, & iuuare in eo quod possent vt indicant posteriora verba.

Magis colligi potest modus congregationis, & subordinationis religiose inter Eliseum, & illos filios Prophetarum ex verbis 4. Reg. 6. Dixerunt filii Prophetarum ad Eliseum: Ecce locus, in quo habitamus coram te, & tuus est nobis, & tuus est iordanem, & tollant singulis de ista materia singulas, vt adificemus nobis ibi locum ad habitandum: qui dicit: Ite, &c. Et quidem haec verba manifeste indicant habitasse filios illos Prophetarum cum Eliseo in vna societate, seu collegio, eumque vt dominum & superiorem solitos esse recognoscere. Quis autem fuerit ille modus congregationis, non satis constat, quia Scriptura solum veluti casu, & per occasionem eam indicat. Incertum ergo est, an illi Prophetarum filii ita Eliae, vel Eliseo adhererent, vt perpetuam cum illo societatem inirent, vel solum ad tempus cum eo degerent, vt ab eo instituerentur in diuinis rebus, & postea de se liberè discederent. Vnde licet Hieronymus absolute dicat hos filios Prophetarum fuisse virgines, in Scriptura id non reperio, & verisimile est dum ibi erant castitatem coluisse, nec in congregatione illa solitos fuisse admitti, nisi ab onere matrimonii liberos: quod autem in eo statu perseverarent semper, aut quod voto ad hoc obligarentur, affirmari non potest. Ac similiter de obedientia credendum sine dubio est, dum ibi erant, Eliseo fuisse obsequentes, tum quia illi agnoscant vt sanctum, & donis Dei superiorem, & ita semper eum Dominum appellabant: tum etiam, quia sine aliquo obedientiae genere impossibile est in congregatione ordinatè viuere. An vero illa obedientia esset ex voto, vel ex promissione humana, vel ex pacto tantum conditionato, si sibi perseverare vellent, vel solum ex interna spiritus motione & operatione merè voluntaria, incertum est.

Postquam praeter ea similem discursum facere per omnes congregationes, seu viuendi modos, qui ante Christi aduentum dicuntur fuisse inter Iudaeos per modum religionis, seu religiosi status, & in singulis explicare quomodo perfectam huius status rationem non attigerint. Inter quos famosiores videntur esse Esseni, de quibus illustri narratio est apud Philonem lib. de Vita contemplat. & Ioseph. lib. 18. Antiquit. c. 2. & lib. 2. de Bello Iud. c. 7. ex quibus etiam intelligere licet illos fuisse religiosos, & paupertatem ac cetera consilia obseruasse. At verò de his Essenis varia est opinio; multi enim Patres existimant ut illos, de quibus Philo loquitur, non fuisse Iudaeos, sed Christianos, & D. Marci discipulos. ita docet Hieron. de Scriptor. Eccles. in Matc. de quo sic ait: *Assumptio Euangelio, quod ipse consecrat, perrexerat in Aegyptum, & primum Alexandræ a Christo annuntians constituit Ecclesiam tanta doctrina, & vita continentia, vt omnes sectatores Christi ad exemplum suum cogeret. Denique Philo discipulus Iudaeorum, videns Alexandria primam Ecclesiam aduocantem, quasi in laudem gentis suae librum scripturæ eorum conuersatione scripsit, & quomodo Lucas narrat, Hierosolyma credentes omnia habuisse communia, sic est illud quod sub Marco Alexandria doctore fieri cernitur memoria tradidit. Dicit autem Hieronymus, vidisse Philonem Alexandrinam Ecclesiam iudaizantem, quia licet Christiana esset, adhuc legalia seruabat: Philonem autem propter Iudaismum illam laudasse, quamuis reuera de Christianis loqueretur. Idem reperit paulò inferius in Philone, quem dicit habitare.* *Et dicitur de statu relig. tom. 3.*

cula Christianorum vocasse monasteria, ea in multis prouinciis esse memorans. Ex quo (ait Hieronymus) apparet eam primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nuntur, & cupunt, &c. Hanc sententiam sequutus est Beda praefatione in Marcum, & Cassian. lib. 2. de Instit. renunc. cap. 5. & eam prius docuit Euseb. lib. 2. Histor. cap. 15. Sozom. lib. 1. cap. 12. in fin. Denique Epiphanius haeres. 29. vt nominis rationem reddat, ait illos de quibus loquitur Philo, non Essenos, sed Elseos vocari, vel potius Iesseos, à Iesu nomine. Potestque hoc confirmari, quia si Esseni fuissent ante Christi aduentum, essetque aliqua Iudaeorum religio, vtique fieret aliquid mentionem illorum in Euangelio, sicut fit Phariseorum, & Sadduceorum; at nulla fit: signum ergo est inter Iudaeos non fuisse.

At verò quamquam de Philone probabile sit loqui de Essenis Christianis, quia tractat de illis, qui nouam perfectionis viam eo tempore proficere ceperant. Iosephus autem de Iudaeis videtur loqui nam antiquiores inter Iudaeos illos esse significat, & à Phariseis & Sadduceis illos distinguit, & quaedam eorum dogmata refert, quæ cum Christiana religione non consonant. Vnde Epiphanius haeres. 19. ponit Essenos Iudaeos, qui ante Christum fuerunt, & haeres. 9. & sequentibus, alios Essenos Samaritanos fuisse affirmat. Cyrillus etiam lib. 5. contra Iulianum ex Porphyrio eorum mentionem facit, dicitque in persecutandis Prophetis fuisse diligentes; & ideo multi existimant non fuisse Christum persecutos, & ob eam causam non fieri eorum mentionem in Euangelio. Eorum etiam meminit Plinius lib. 5. Histor. ca. 17. & antiquissimos illos esse significat, & castitatem ac paupertatem dicit coluisse, sine vlla femina, sine pecuniâ. B. Nilus in principio Aeteticorum suorum ait, illos habuisse mores similes nostris religiosis, non tamen credidisse in Christum. Philast. etiam contra haereses ait multos eorum in Iudaismo permanisse. Verisimile ergo est & ante & post Christum fuisse, & multos ex illis ad fidem conuersos per Matci praedicationem Alexandria, moralem viuendi modum de se bonum in Christianismo retinuisse, & perfecisse; & ideo verum quidem esse Philonem de Christianis loqui, non tamen excludere antiquiores Essenos: imò forte etiam Iosephus, vt Hieron. significat, de eisdem loquitur, illos cum Iudaeis confundens. De quibus videri possunt plura in Matthæo Galt. lib. de Origine Monast. c. 5. Baron. tom. 1. An. 64. n. 6. & seq. Bellar. lib. 2. de Monach. c. 5.

De his ergo Essenis, qui inter Iudaeos fuerunt, licet constet modum religiosæ vitæ tenuisse, tamen quòd non veri religiosi fuerint ostendi potest: primo, quia etiam illo tempore non creduntur habuisse veram & finem fidem, vt ex Iosepho colligitur, & ex Epiphanius sine vera autem fide, nec vera religio esse potest. Secundò ex Iosepho lib. 18. Antiquit. c. 2. & Philone lib. Quòd liber sit probus, eos non seruasse veram paupertatem, sed habuisse diuitias vnde viuissent. Tertio de obseruatione castitatis, & obedientiæ nihil certò affirmare possumus, multo que magis incertum est an vota emiserint, praesertim perpetua. nam de his omnibus, qui castitatem seruabant in lege veteri, certius creditur regulariter solum pro aliquo tempore illam seruasse.

Nazaræi etiam videntur habuisse inter Iudaeos similitudinem quandam religionis: nam de illis dicitur Numer. 6. quòd se sanctificabant, & per votum Domino consecrabant; sed (vt omitram illos etiam non habuisse integram & sanam fidem, vt videre licet in Epiph. haeres. 18.) Jex eodem loco Scripturae constat illam consecrationem, vel sanctificationem non fuisse perpetuam, sed ad tempus; nec alia opera perfe-

Idem dicitur de Nazaran.

12.

Iosephus loquitur de Essenis Iudaeis, & à Phariseis, & Sadduceis illos distinguit.

13. *Esseni licet medium religiose vitae tenuerint, non fuerunt vere religiosi.*

14. *Idem dicitur de Nazaran.*



perfectiōnis comprehendisse, præter abstinentiam à vino & vuis, cum aliis ceremoniis, quæ ibi narrantur, de quibus videri potest Abulad. locum citatum. & Mendocia in quodl. quaest. 5. num. 1. Vnde probabile aliqui existimant ab horum Nazareorum ritu duxisse originem Rechabites aded in Scriptura celebres, propter laudes, quas de illis refert Ierem. cap. 35. Illi enim à Ionadab patre suo hoc præceptum habuerunt. *Non bibetis vinum vos & filii vestri vsque in sempiternum, & domum non edificabitis, & semen non seretis, & vineam non plantabitis, sed in tabernaculo habitabitis cunctis diebus vestris;* quod paternum præceptum ipsi inuoluntate obseruauerunt, pro quo laudem & præmium à Deo metuerunt. Illorum ergo viuendi modus ab institutione paterna duxit originem; tamen Ionadab occasionem id præcipiendi videtur sumfisse à ritu Nazareorum, cui ipse aliquid addidit. Quod tamen etiam illi Religiosi non fuerint, constat, quia in reliquis rebus extra illas ceremonias laicorum more vivebant, & filios generabant, &c. Monstrat autem Baron. supra hos Rechabites diuersos fuisse ab Esseis, licet verisimile censet hos ab illis originem duxisse. Non omitam autem aduertere Hieronymum epist. 13. inter antiquos religiosorum duces cum Elia, Eliseo, & filiis Prophetarum hos etiam Rechabites numerare, vt intelligatur ipsum non appellare eos duces, eo quod perfectum religiosum statum ad amissim tenerent, sed quia extra urbem vivebant, & vitam quandam solitariam & pauperem profitebantur. Omitto sectas alias, quæ inter iudæos fuerunt, Phariseorum, Sadduceorum, Dosithæorum, & similiarum, cõstat enim eos & in fide & in moribus multum à vera religione defecisse, vt videri potest apud Iosephum dict. l. b. 18. Antiquit. cap. 2. & lib. 2. de Bello Iud. cap. 2. Epiphani. hæres. 13. & sequent. quæ in summam redigit Baron. in Apparatu ad Annales initio tom. I.

Rechabites
traxerunt
originem à
Nazareis

Istetiam
non fuerunt
vni religio-
si.

15.
Explicatur
magis vna
dicitur asser-
ti quod
vna substantia
status religiosi.

Tandem explicari potest in hunc modum assertio posita. Nam in primis si consideremus statum nostrum religiosum, vt constantem ex solennibus votis, nullo fundamento affirmare possumus tale genus voti fuisse in vtu in lege naturæ, aut veteri, quo scilicet, personæ fierent inhabiles ad matrimonium contrahendum, & matrimonium ritè contractum ante consummationem dirimeretur; sunt enim hæc propria Ecclesiæ Christi, nec potest afferri vllum exemplum, aut vestigium antiquitatum, quo ostendatur ante illos fuisse. Quod satis confirmant Pontifices, qui declarant hanc solennitatem ab Ecclesiâ fuisse introductam, vtique per specialem potestatem à Christo datam; ante ergo quam Christus daret hominibus hanc potestatem, non fuit, nec esse potuit inter eos vsus talium vororum. Idem argumentum fieri potest de voto paupertatis, quatenus hominem reddit inhabilem ad temporalium rerum dominium, imò etiam quatenus obligat ad illud non habendum, neque accipiendum circa vllam rem, vel nunquam, vel raro existimo esse cognitum à veteribus, licet actuale vsum paupertatis multi coluerint. Vnde si abstrahamus à votis solennibus, hæc speciali & legitima solennitate, fortasse fieri potuit, vt aliquis tria vota emiserit priscis illis temporibus; dico tamen de nullo posse cum sufficienti fundamento affirmari: multo que minus de aliqua communiter proposito. Vnde hæc accommodari potest distinctio insinuatà à D. Thom. 2. 2. q. 184. art. 4. de statu hominis vel interno, vel occulto, & apud Deum; vel de externo, publico, & apud Ecclesiâ. Prior potest suo modo consurgere ex votis soli Deo factis, de quibus nos indicare non possumus, & ita neque affirmare simpliciter ab aliquo ante Euange-

lium fuisse omnia simul facta vt perpetua, & vt per illa se totum Deo consecraret immobiliter, quia hoc scriptum, aut traditum non est: nec etiam id possumus constanter negare, quia neque hoc etiam est scriptum, & non fuit impossibile fieri, quamquam præsumptio sit in contrarium, tum propter auctoritatem negatiuam, tum quia non erant talia vota illis temporibus accommodata, vel propter non vsum, vel propter minorem lucem Euangelicæ perfectiōnis, vel propter temporales promissiones, quæ tunc fiebant, & propter alias similes causas. Posterior autem status præter tria vota apud Deum requirit specialem potestatem in hominibus acceptandi illa nomine Dei, & traditionem quandam, quæ in statu religioso cum illis coniuncta est. quæ potestas supernaturalis est, & propria legis nouæ; nec cum probabili fundamento potest antiquioribus tribui, magis quam potestas ligandi, & soluendi, quæ in Euangelio data est. Et per hæc satis responsum est rationibus dubitandi in principio positis.

CAPVT II.

Vtrum religiosus status à Christo ipso fuerit institutus.

Magnum est, quanto odio ab initio Ecclesiæ, religionis status oppugnatus sit; duplices autem fuisse religiosorum hostes, alii enim personas, alii statum ipsum in se etati sunt: vtrumque autem modum homines impij, & præsertim hæretici exercuerunt, vt eleganter profequitur noster Pictus in proœmio lib. 1. de statu Relig. Vt autem Iulianus Apostata, & alios principes hæreticos omitam, qui potentia, & vi religiosos vexarunt, quos latè refert Iodoc. Coccius tom. 2. thes. lib. 4. de vita Monastica, a. 2. in principio. Ariani summo odio religiosos persecuti sunt, vt ex Athanasio colligi potest in Apologetico proxime ante fecidam eius epistolam; & in epist. ad Solit. vit agent. sub finem. & ex Rufino lib. 1. Hist. cap. 3. Similia de Donatistis refert Aug. Enarrat. in Psal. 132. Lib. autem 3. contra Petilian. c. 40 significat, non solum contra personas, sed etiam contra statum inuictos fuisse. Tempore etiam Chrysol. multi fuerunt non solum hæretici, sed etiam mali fideles vituperatores vitæ monasticæ, cõtra quos ille tres libros scripsit. Heluidius, & Iouinianus etiam hunc statum oppugnarunt, nec enim poterunt hostes castitatis, & virginitatis esse, quin etiam contra religiosum statum se armauerint. Postea Wiclephus statum hunc à demone inuentum ausus est dicere, quem errore damnauit Concil. Constant. Sess. 8. & latè impugnat ab Waldensi tom. 2. à cap. 83. Actandem noui hæretici illum vehementer in se etantur, asserentes re nouam esse, & ab hominibus otiosis inuentam, calumniantur. Et qui maior ei auctoritatè tribuunt, post trecentos annos Christi dicunt incepisse, eiusque inuentores fuisse Macharium, Antonium, & similes. Et ne hanc etiam antiquitatem nostris religiosis tribuere videantur, dicunt illos nihil habere commune cum illis antiquis monachis, vt Bellar. refert. 2. li. de Monach. cap. 5. Tria ergo videnda sunt. Primum hoc non esse inuentum pure humanum, sed ab ipso diuino iure ducere originem. Secundum, statum hunc continua, & non interrupta traditione in Ecclesiâ seruatum fuisse. Tertium, substantia & essentia eundem semper fuisse statum, licet accidentibus, & ceterum onis varietatem obtineat.

Circa primum punctum ratio dubitandi esse potest, primò, quia nullibi legitimus talem institutionem. Secundo, quia nulla ex religionibus, quæ in Ecclesiâ sunt, vel fuerunt vnquam, est à Christo instituta: er- go nec status religiosus secundum se; quia institutio diuina

Tria con-
sideranda in
hoc mat-
ria.

2.
Primum
punctum,
& ratio
dubitandi
an statum
diuina